

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml>

(PHILOPOLEMUS) ...

hoc agamus. **PHILOCRATES** Quid nunc, quoniam tecum servavi
fidem 930

tibique hunc reducem in libertatem feci? **HEG.** Fecisti ut tibi,
Philocrates, numquam referre gratiam possim satis,
proinde ut tu promeritu's de me et filio. **PHILOP.** Immo potes,
pater, et poteris et ego potero, et di eam potestatem dabunt
ut beneficium bene merenti nostro merito muneres; 935
sicut nunc potes, pater mi, facere merito maxume.

HEG. Quid opust verbis? lingua nullast qua negem quidquid roges.

PHILOCR. Postulo abs te, ut mi illum reddas servom, quem hic reliqueram
pignus pro me, qui mihi melior quam sibi semper fuit,
pro bene factis eius ut ei pretium possim reddere. 940

HEG. Quod bene fecisti referetur gratia id quod postulas;
et id et aliud, quod me orabis, impetrabis. atque te
nolim suscensere quod ego iratus ei feci male.

PHILOCR. Quid fecisti? **HEG.** In lapidinas compeditum condidi,
ubi rescivi mihi data esse verba. **PHILOCR.** Vae misero mihi, 945
propter meum caput labores homini evenisse optumo.

HEG. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis:
gratiis a me, ut sit liber, ducito. **PHILOCR.** Edepol, Hegio,
facis benigne. sed quaeso, hominem ut iubeas arcessi. **HEG.** Licet.
ubi estis vos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite. 950